



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

36. de comparatione rerum scitarum ad Dei scientiam, & modo quo res
sunt in Deo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

Adde quòd hæc visibilia antequàm fierent, *Omnia in*
Lib. 5. in Dei scientia erant, vt ait Aug. sup. Gen. Deo sunt.
Ca. 18. Nec alio modo innotuerunt cum ea fecisset, quàm illo quo illa nouerat vt faceret, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Vnde, quod factum est,
Iaco. 1. in ipso vita esse dicitur. Inde est quòd ei
Ioh. 1. omnia dicuntur præsentia esse, præterita &
Ro. 4. futura vt præsentia. qui vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt.

DE COMPARATIONE
 rerum scitarum ad Dei scientiam, & quomodo res
 sint in Deo.

DISTINCT. Trigesimæ sextæ
 CAP. Primum.

*Licet omnia sint in Dei scientia, non tamen
 dicuntur esse in eius essentia.*

Quamuis cognitio dei vel præsentia sit
 essentia diuina, & omnia dicantur esse
 in eius cognitione: non tamè dici
 debent esse in eius essentia. Si enim hoc diceretur, intelligerentur esse eiusdem essentiæ cum Deo. In Deo enim dicitur esse per essentiam, quod est diuina essentia; quod est Deus. Habet ergo Deus apud se in præsentia sua, quæ non habet in sui natura. vt dicit
To. 10. Aug. de Verb. Apost.

CAP. Secundum. Mala non dicuntur esse in Deo.

Quum omnia dicantur esse in Deo, non per essentiam naturæ, sed per cognitionem scientiæ, & Deus sciat bona & mala: videtur concedendum mala simpliciter esse in Deo, sicut bona. Sed (vt ait Aug.) Nemo, nisi insanus, dixerit mala esse in Deo. Illa enim esse in Deo intelliguntur, quæ ex ipso & per ipsum sunt. Ea verò per ipsum sunt, quorum author est. Sed non est author nisi bonorum: non ergo ex ipso & per ipsum sunt nisi bona. Quia licet cognoscat mala, non tamen omnino ita noscit vt bona. quoniam bona cognoscit per approbationem & beneplacitum: mala verò non (vt dicit Casiodorus super Psal.) Peccata abscondita sunt Deo, quia non nouit. i. non approbat. Et eo sensu dicit Aug. ea abscondita à lumine Dei. Proinde idem videtur esse, Omnia esse ex Deo, & per ipsum, & in ipso: vt dicit Ambrosius lib. 2. de Spir. san. Eandem enim vim habent omnia hæc, scilicet cum ipso, & in ipso, & per ipsum, & vnum in iis, atque consimile. Quæuis autem distinctio personarum explicetur cum dicitur, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia: tamē sic intellige esse à Patre, vt eadem omnia non neges esse à Filio & Spiritu sancto. vt dicit Aug. 1. de Trinit. Nec dicendum omnia esse de Deo, quæuis ex Deo sint. non

f. 74. a. b.

~~Mala cognoscit~~

Deus per scientiam, bona per approbationem.

Exponitur illud A. post. Ro. 11 Omnia per ipsum, &c.

Ps. 16.

enim penitus significat hoc ex ipso, quod de ipso, ut dicit Aug. lib. de Nat. Bon. Sicut homo generat filium, & facit domum. filius est de ipso, & domus ex ipso, & non de ipso: quia de terra & ligno est.

DE COMPARATIONE
Dei ad res, scil. quomodo Deus
sit in rebus.

DISTINCT. Trigesimæ septimæ
CAP. Primum.

Deus est communiter in omnibus rebus, specialius tamen in Sanctis.

Quoniam demonstratum est ex parte quomodo omnia dicantur esse in Deo, addendum videtur hic quibus modis dicatur Deus esse in rebus. Sciendum est ergo ^{fol. 101. a ca. 145} *Tribus modis* quod licet Deus incommutabiliter semper in se existens, sit presentialiter, potentialiter, & essentialiter in omnibus rebus sine sui definitione, & in omni loco sine circumscriptione, & in omni tempore sine mutabilitate: est tamen in sanctis spiritibus & animabus excellentius, scil. per gratiam inhabitans: & in ho-

mine Christo excellentissimè, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat, ut ait Apost. In eo enim Deus habitauit, non per gratiam adoptionis, sed per gratiam unionis. Unde Greg. super Cant. Licet Deus communi modo

Col. 2.
Sup.
illud,
Quò
abit.

Tribus modis Deus est in rebus.